
Descriptio Poloniae?

Leopolis


~~Poez 1256~~

Alnpeckii Frid. Xeniolum Inclytae Civitati Leopoliensi oblatum.



~~Poezya 1256. b.~~




V
B
J
C

XENIOLUM

INCLYTÆ CIVITATI
LEOPOLIENSI,
BONARUM ARTIUM SINGULARI
PROPAGATRICI,
PATRIÆ SUAE CHARISSIMAE
BONO OMINE

A

FRIDERICO ALNPECHIO LEOPOLITANO
in Alma Academia Crac: Philosophiæ studioso,
OBLATUM:

Cal: Ian. Anno Domini, M. DCXIX.

15
1 415



CRACOVIÆ, Chalcographo Basilio Skalski.

Famato Dno Christophoro Kun, Civi Leopoliensi Dno
et amico suo Colendo Author D.D.

IN ARMA LEOPOLIS



Cernis ut excelsę tollant fastigia turres,
  Excubiasq; Leo quàm vigilanter agat.
His vigiles animi, pietas, sapientia, robur
  Noscitur, hæc magnę munera laudis habēt.
Digna Leontopoli sunt hæc insignia, nullis
  Virtus alma potest clarior esse notis.

rum Virorum Krasiccij, Naraiouij, Czernieiouij, Starzechouij, Trzebinij, Glemboccij, Swirscij, Wilzynij. Senes Venerandi; Gaspar Przezazieccius, Gaspar Gulinscius, Stanislaus Anserinus, Doctores Excellentissimi; Erasmus Sixtus, Martinus Nouicampianus, Paulus Dominicus Hempnerus, Andreas Habrecius. Et vos Consultissimi Wolphgange, & Melchior Wulphouicij mei Patrueles, nec tu Pater Charissime omittende. Vobis, vobis, iure optimo, Illustribus & Magnificis, Nobilibus, & Clarissimis Viris primæ huius anni exordientis primordia inominata nolui præterire. Nam si exoleta illa vetustas tantos Iano Patulcio, quòd is aureo sæculo Hesperijs regionibus præfuerit, honores decernere non dubitauit: quantò magis nos vero Christi lumine illustratos ei diei, quâ Sanguinem suum preciosissimum, pro generis humani ex Tartareis grauissimis carceribus sobole eripiendâ, Seruator noster cœpit effundere, varijs solennitatum generibus decet incumbere? Ea etenim felicissima terris emicuit lux, quæ suo splendore, suâ claritate, omnibus alijs meritò anteit diebus, instarq; lapidis preciosissimi totius anni decursum clarissimè illustrat & ornat. Quocirca, vt iam portum ex alto respiciam, Nobilissimi Patriæ

meæ Patroni, tenui quidem calamo & agresti Musâ, sed auspicato omine, noui huius anni gratulationem vestro Ornatissimo Nomini dedico & consecro. Vos, vos inquam, pro vestra incredibili prudentiâ, beniuolo animo Xeniolum hoc, exiguum quidem, sed intimo animo à me, milite nondum exercitato, oblatum accipite & fauete. Faxit DEVS *vt cum Charissimâ meâ Patriâ diutissimè sospites atq; incolumes valeatis. Datum Cracouiæ. Anno à Partu Virgineo 1618. Pra Calen: Ianuar.*



TOTI LEOPOLIENSI
VNIVERSITATI
Anni noui
GRATVLATIO.
ODE TRIC: TETRAST.

Diuæ ſuáui, quæ modulamine
Repletis altas Cœlicolûm domos
Phœbi ſorores, & iocoſæ
Deliciæ Iouis intonantis.
Si quando lætum Threicià melos
Chely dediſtis, ſi vaga ſydera
Mulſiſtis, ornatæ coronis,
Pectine, ſi cithara ſonorâ.
Si quando iunctis ordine dexteris
Sacrata circum flumina Pegaſi
Lætæ choreas, perſonante
Mœnaliâ fide miſcuiſtis.

B Nunc

Nunc nunc ſereno fundite dulcia
Doctę Camœnæ pectore carmina,
Nunc eſt canendum, nunc eburnæ
Pollicibus citharæ ſonandæ
Nunc eſt canendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc ſacra tempora
Ornanda myrto, nunc virenti,
Omnia ſint redimita lauro.
Dum feſta terris tempora triſtibus
Formoſa puris luminibus micans
Pallantias profert, repulſis
Vndiq; cimmerijs tenebris.
Scandit ſupernè tempus amabile
Claudens peracti limina proſperè
Anni, ominatis dum Bitrontis
Auſpicijs aperit Calendas.
Queis Rex benignus conditor ætheris,
Coruſca dextrâ ſydera temperans,
Imago ſummi vera Patris
Terrigenum Sator atq; ſoter.

Sacris

Sacris cruoris purpurei loca
Votiua templi fontibus irrigat
Laturus altis expetitum,
Culminibus populo leuamen.
Quondam noueni Dardanio ſolo
Chori, ſüáui cantica barbito
Et voce gratâ dulce carmen
Ingeminante ſono dediſtis.
Coruſca luſtrans Heliadum Pater
Intrigidantis ſydera dum Capri
Naſcentis anni prima luſtra
Auſonijs veheret colonis
Pompoſa ſacri dum Capitolij
Nouos honores & noua præmia
Theatra ferrent, auſpicatis
Æthere vocibus inſonante.
Luſiſtis olim Palladiis lyris
Doctis Athenis dulcia grammata
Dum prima Cancri Phœbus aſtra
Ingrediens glomeraret æſtus.

Dum

Dum quiſq; fauſto cuncta precamine
Cum canticis, totâ geminantibus
In vrbe ſublimi, repleret
Æthera, Olympiacaſq; gazas.
Verùm ſtrepentes nunc Heliconij
Vagentur amnes largiùs, & modo
Solenniori barbiton, cum
Plauſibus & choreis ciatur.
Infracta curis Inclyta Ciuitas
Almi LEONIS, cui Superùm Pater,
Et vos Camœnæ perbenignis
Theſpiades animis fauetis.
En iam peracti triſtia ferreis
Anni recludens tempora vectibus
Primas Calendas, ominatis
Auſpicijs ſuperûm capeſſit.
Fas ergo alumnæ cuncta Leopoli
Veſtræ, Sorores, læta precarier;
Tandem vt repulſis nubiloſis,
Gaudia Sol reuehat, diebus.

Iam ſat tremendis mœſta periculis
Senſit furentes Odryſij Dei
Iras, cruentus dum nefandum
Exitium properaret vrbi.
Iam ſat dolores flebilis anxios
Oppreſſa ſenſit, mille furoribus
Eiecta terris dum Togatæ
Proſpiceret ſimulachra Pacis.
Non ſic triformis naufraga tranſiens
Carina Scyllæ littora, vel teræ
Oras Charibdis, luctuoſâ
Congerie premitur malorum.
Ac illa dignas Herculei ferens
Notas Leonis, dum fera Tartari
Liquens cauernas (heu) dolenda
Thiſiphone mala ſuſcitaret.
Quocunq; flexit lumina prouidens
Caſus futuros, obſtupuit gemens,
Contra Leonem dum cruentus
Vndiq; conuolitaret hoſtis.

Hinc Turca bellis horridus impiis
Surgit, tremendi hinc tela micantia
Torquent Geloni, aſt hic ſceleſtas
Iſacidæ machinantur artes.
Illinc Getarum prælia concitat
Onuſta rapto ſtirps Phlegetontica,
Aſt hic latentes gens Auerni
Mille ſtruit recutita fraudes.
Quovſq; pergis pectore perfido
Eheu doloſum Leuigenum genus
Tentare fraudes, tam nefandâ
Chriſticolas onerare clade?
Vidit coruſco tramite ſyderum
Apollo vectus, vidit & aurea
Phœbi Soror, videré Olympi
Omnia Numina candicantis.
Dum pertinaci pectore percitus
Apella libares graueolentibus
Tectis Eriñy, æthneo vt igni
Sterneret immeritum Leonem.
Heû

Heù quàm superbè sollicitus pauor
Tunc sceptra gessit, cum rutilantibus
Vrbs tota flammis, & micanti
Vndiq; contegeretur igni.
Iam luctuosis cladibus horridus
Licentioso cantica guttute
Prompsisset. Vltor ni benignum
Iuppiter auxilium tulisset.
Nam mox priusquam sedibus euolans
Vulcanus imis sterneret omnia
Mittit ruentem, cum procellis,
Hesperijs Lybicum cauernis.
Flammæ vagantis sic violentia
Perfracta primùm mœnibus inclytis
Cessit, dolendus sic Erinnys
Anguicomæ furor est repressus.
Vix vix, recenti Thisiphone malo
Lætata, tetri squallida Tartari
In regna cessit, dum Tyrannus
Threicius noua damna ferret.

Non

Non ſic vadoſo fluctuat in mari,
Dum ſæua venti prælia ſuſcitant;
Roſtrata nauis nunc Olympo
Nunc Stygijs tenebris ꝓpinqua.
Ac tu Leonis Patria nobilis
Alumna Pacis, dum celerem rotam
Fortuna fallaci arte voluens
In varias iaculatur oras.
Peruerſa vaſtis nunc premit ignibus
Tuos Penates Ieſſigenûm cohors,
Sæuæ Geloni nunc cateruæ
Caucaſei mala moliuntur.
Iamiam feroci Marte perhorridi
Læti trophæis Maſſagetæ omnia
Impunè vaſtant, igne tecta
Diripiunt, rapiunt colonos.
Replent cruentis cædibus impij
Agros virentes, nec ſatis eſt feris
Mali patratum, ni nefandum
Exitium reparent Leoni.

Iam

Iam hostis supernis collibus insidens
Flammæ micantes igniuomæ rogos,
Viros ligatos occinentes
Triste melos dabat, héu, vidēdos.
O lumen almum Russiaci soli
LEO, perennis Castalidùm domus,
Oppresse curis, tot nefastis
Illaqueate malis Megæræ
Descendit altis Cháóny Iouis
Tempus Theatris, omine cælitum
Fausto auspicatum, ergo beato
Pectore pelle metus pauentes.
Expelle curas, lætaq; tempora
Lauri virentis cingito frondibus,
Para triumphos. Iam Gelonus
Promeritas luet ille pænas.
Non semper obstans sydera contegit
Obscura nubes, aut mare Caspium
Vexant, tumescentes ruente
Aeòlio Boreâ, procellæ

Non ſemper aurêi lampade Cynthia
Orbata Phœbi Lappia triſtibus
Squallet tenebris, læta quondam
Lumine perpetuo triumphat.
Nec ſemper audax accola Caucaſi
Terrebit vrbes, lætaq; barbaro
Trophæa pſallet pectine. Olim
Vulturibus ſua præda fiet.
Iam rara poſthac prælia ſenties
Martis cruenti, nulla pericula
Guſtabis vnquam, dum feroces
Tranſtra Getæ repetēt Charontis.
Ergo Calendas incipe proſperè
Iani Bifrontis, cinctaq; Cypriā
Lauro triumphos appara; Quod
Fata monent, & honos Leonis.
Para triumphos. Nunquid enim truci
Virtute cedet Sauromatæ LEO?
Nunquid triumphalem Gelono
Porriget intrepidus coronam?

En

En fax sereno Russiaci soli
Cunctas per oras lumine splendida,
Virtutis aurêis Archipræsul
PROCHNICIVS radijs coruscans
Sæuas superni sollicitus Patris
Manus, hiulci spicula fulminis
Iamiam vibrantes, vltimumq;
Exitium, mitigat, ferentes.
Èn Præsul almum Russiadúm Decus,
Cui clara fulgent astra, PIRAVIVS
Fulcit ruentem, concidentem
Supplicibus precibus tuetur.
Fulcit cadentem Lechiadûm Inclytus
Pater, Togatę Pacis, & horridi
Mauortis ingens Gloria, vnum
ZOŁKIEVIVS Patrię leuamen.
Quid ergo mœstis æthera planctibus?
Quid luctuosis sydera vocibus
Pulsas potentis stirps Leonis?
Quin potius renoua triumphos
Magnę

Magnæ Parentis Marmaricum pecus
LEO, rapaci terribilis feræ,
Lyncas feroces, Parthicasq;
Imperio tigrides gubernat.
Panthera paret multicolor truci
Iræ Leonis, cuncta animantia
Virtute cedunt, Regem adorant,
Horrisonos sonitus pauescunt.
Regale signum Zodiaci LEO,
LEO corusco fixus in æthere,
Excelsa sedes, & decora
Laurigeri Lycijq; Solis.
Vincit, nitenti lumine splendidus,
Poli micantes stelligeri faces,
Virtute raucos vincit æstus
Igniuomæ patriæ Gigantum.
Ditis cauernas, tristia Tartara,
Sæuas Erinnes, Regnaq; Cerberi
VICIT LEO DE GENTE IVDA,
Progenies Superi Parentis

Et

Et tu LEONIS nomine, ſymbolo,
Virtute polles, ò mea PATRIA,
Ergo pauores pelle triſti
Pectore, ſollicitasq́; curas.
Vincunt LEONES. Accipe proſperum
Omen triumphi, lætaq́; tempora
Iani Calendis orta, felix
Incipe & incolumis VALETO.



CHRONOSTICHON
Præteriti & ordientis anni

Fert ſtrenas I*an*V*s ſobo*L*es* DIVI*na ſa-*
LV*tem* (1618)

BI*na* L*eo à* DIVI*s en* MV*nera* L*æt*V*s*
*habeb*I*s.* (1619)

